

pure activam. Divus Thomas 2. 2. q. 188. a. 6; Miranda, tom. I, q. 9, a. 2. dicens conclusionem esse indubitam; Pelliz. tract. I, cap. III, sect. 2, n. 68, cum communi et certa aliorum. Probatur communiter ex illo Lucae, x, 42, ubi Christus praeferens vitam contemplativam Mariae, laboribus vitaeque activae Marthae dixit: *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea*. Ratio est; quia vita contemplativa magis apta est ad actus charitatis frequentius et ardentius exercendos, ipsamque charitatem, quae est vinculum perfectionis, facilius assequendam. Confirmatur conclusio ex iis, quae fusa in laudem vitae contemplativae tradunt sancti Patres, de quibus vide Ascetas.

61. *Mixta vita et religio est perfectior contemplativa.* — Resp. II. Religio mixta ex contemplativa et activa est perfectior religione pure contemplativa, consequenter inter omnes perfectissima. Divus Thomas loc. cit.; sanctus Augustinus lib. XIX. *de Civitat. Dei*, cap. XIX; sanctus Gregorius, homil. v. in *Ezech.*; Layman, lib. IV. t. V. cap. III, n. 2. Miranda, loc. cit. a. 5. Pelliz. loc. cit. n. 69; Sylvester 7. *Religio*, q. 4. cum communi aliorum. Probatur imprimis ex doctrina et exemplo Christi, non tantum verbo docentis sed et opere exercentis vitam mixtam, utpote qui juxta Evangelium de nocte ascendit in montem solus orare, de die vero erat docens in templo, et intentus aliis exercitiis vitam activam concernentibus. Probatur etiam ex sanctis Patribus, sanctus Augustinus enim loc. cit. postquam posuit tria vitae genera otiosum nempe (quo contemplativam vitam intelligit), actuosum (quo activam indigitat) et tertium ex utroque compositum seu *mixtum* addit, quod hoc tertium sit perfectissimum. Sanctus Gregorius loc. cit. de viris perfectis loquens, inquit: « Quod illi homines prae aliis sint perfectissimi, qui post perfectam contemplationem redeunt, et descendunt, atque occupantur in exercitiis vitae activae. » Pariformiter loquuntur alii sancti Patres. Ratio est, quia vita mixta ex natura sua utramque tam contemplativam quam activam includit; cum religiosi talis religionis non tantum in operibus charitatis, sed et in contemplatione et meditatione se quotidie exercent, ita ut quod de nocte in meditatione ac contemplatione positi, a Deo percipiunt, de die in proximorum utilitatem eructent, juxta illud Psalm. CXLIV, 7: *Memoriam abundantiae suavitatis suae eruc-*

*tabunt, et justitia tua exultabunt.* Hinc sicut teste sancto Thoma, loc. cit.: « Majus et perfectius est illuminare (quod est lucem habere, et ipsam praestare) quam lucere tantummodo. » Ita etiam majus est contemplata aliis tradere, quam solummodo contemplari, seu contemplationi vacare.

62. *Respondetur ad textum: Maria optimam partem sibi elegit.* — Nec obstant conclusioni verba Christi Lucae x, 42: *Optimam partem (vitam nempe contemplativam) sibi elegit Maria.* Nam contra est: tum quod haec verba solum respectu partis, seu vitae a Martha electae dicta sint, utpote quae pure activam elegerat: tum quia, ut bene observat Cajetanus, 2. 2. q. 182. a. 1. ad 3 et ex illo Miranda, tom. I. q. 9. a. 5. Christus non dixit *optimum*, sed *optimam partem elegit Maria*, ad innuendum, quod licet vita contemplativa in ratione partis sit optima, utpote melior activa, non tamen adhuc sit *optimum* in ratione totius, consequenter Maria elegerit quidem optimam partem, sed non *optimum* ex toto, quod est vita mixta, utpote utramque partem tam contemplativam nempe, quam activam includens, ac ex utraque constans.

63. *Franciscanorum religio est mixta. Meditationem ob proximi salutem omittentes, male sibi consulunt.* — Hujusmodi religiones mixtae vitam ducentes mixtam, sunt fere omnes religiones mendicantes, et quidem in specie religio seraphica Franciscanorum, idque ex beneplacito et mandato divino: cum enim S. P. Noster Franciscus dubitaret, num pure contemplativam an vero mixtam vitam cum suis ducere deberet, et propterea pro obtinenda cognitione Divinae voluntatis per se, et per fratres suos, ferventes ad Deum funderet preces, divinitus revelatum est, « Religionem Franciscanorum non propter solum Franciscum, et fratres suos sed etiam propter salutem aliorum, institutam esse, velleque Deum, ut non sibi solis viverent, sed et aliis proficerent: » et consequenter non solum contemplativam, sed mixtam ducerent vitam; ita tamen laborem pro salute proximorum attemperantes, « ut sanctae orationis, ac devotionis spiritum non extinguerent, » prout dictante Altissimo sancte et provide in ipsa regula monetur. Hinc sicut quivis religiosus religionis mixtae, ita vel maxime Franciscanus male sibi consuleret, qui in studiis ac laboribus pro salute proximorum in tantum se occuparet, ut ora-

tionem internam, meditationem nempe, ac contemplationem vel omnino negligeret, vel non nisi raro aut tepide eidem vacaret: sic namque non amplius mixta, sed pure activa viveret vita, simulque contra regulam, ac religionis institutum, necnon aliqua ratione contra obedientiam ageret: sicque parum vel nihil fructificare, Deo benedictionem subtrahente, vel gratia sua labores ejus non secundante.

64. *Inter mixtas religiones quænam perfectior.* — Quæritur V. Cum multæ hodie dentur religiones mixtæ, quænam illarum in specie sit perfectior? Resp. Illam esse perfectiorem, quæ vi instituti sui tria vota substantialia perfectius observat, et magis tendit ad conformitatem cum vita Christi, et Apostolorum: caret controversia: cum enim juxta dicta, essentia religionis consistat in tribus votis substantialibus, utique illa erit perfectior, quæ partes essentielles in gradu perfectiori possidet. Ac insuper, quia vita Christi omnis perfectionis perfectissima norma est, eamque plus cæteris imitati sunt Apostoli, procul dubio, illa religio perfectior merito reputanda est, quæ ad conformitatem cum vita Christi et Apostolorum plus cæteris tendit. Quænam religio, autem in specie, vota substantialia perfectius observat, quæ item vitæ Christi et Apostolorum se magis conformet, nec disputare, nec respondere, expedit; eo quod comparationes specificæ sint valde odiosæ.

65. *Adducitur summa perfectio religionis seraphicæ.* — Illud tamen de mixta religione sancti Patris nostris Francisci dicere licet, eam in tanto perfectionis gradu observantiam præscribere trium votorum substantialium, ut gradus perfectior dari vix possit. Enimvero *Obedientia* in ea eo usque votetur, ut non tantum in iis, quæ expresse præcipiuntur in regula, sed etiam in omnibus aliis sine ulla exceptione obedire teneatur Franciscanus, nisi aliquid præcipiatur, quod est contra Deum, aut peccaminosum, vel positive contra regulam; uti patet ex cap. x, regulæ, ibi: « Præcipio firmiter, et obediant suis ministris (id est Superioribus, quos ministros S. Pater appellat) in omnibus, quæ promise-runt Domino observare, » et NB. « in omnibus, quæ non sunt contraria animæ suæ, et regulæ nostræ. » Ut proin illud sancti Bernardi locum non habeat in religione Franciscana. « Nihil mihi præcipiat prælatus, quod non vovi. » Votum Paupertatis non

tantum in particulari, sed etiam in communi, consequenter in summo gradu in ea emittitur, quod nulla alia religio habet, teste ipso concilio Tridentino, sess. 25. *de Regul.* cap. III. Castitatis votum in tanto perfectionis gradu votetur, ut non tantum omnem in et externam impudicitiam, et quodvis periculum ejus, sed insuper omnem, etsi non malam, sed indifferentem, vel etiam de se bonam, suspectam tamen conversationem mulierum vi regulæ vitare sub gravi peccato teneatur quivis hujus sanctæ Religionis professus. Quantum porro ad conformitatem vitæ Christi, et Apostolorum præ cæteris tendat religio Seraphica, patet ex ipso statim initio regulæ, cap. I. ubi in compendio regula et vita fratrum minorum exprimitur, eamque in observatione sancti Evangelii, in quo vita: atque doctrina Christi, et Apostolorum continetur, consistere, dicitur, ibi: « Regula et vita fratrum minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare. » Magna et mira sunt encomia, quibus sancti Francisci religionem extollunt Pontifices. Sufficit unum adducere Nicolaum III. qui c. *Exiit*; *de Verb. signif.* in 6. ubi de hac sacra religione ejusque alumnis loquens: « Hi sunt, inquit, illius sanctæ regulæ professores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatoris militantis Ecclesie Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmatur. Hæc est apud Deum, et Patrem munda, et immaculata religio, quæ descendens a Patre luminum, per ejus exemplariter, et verbaliter Apostolis tradita, et deinde per Spiritum Sanctum P. Francisci, et eum sequentibus inspirata totius in se continet testimonium Trinitatis. Hoc est (cui attestante Paulo) nemo de cætero debet esse molestus, quam, Christus stigmatibus suæ passionis confirmavit, volens institutorem ipsius suæ passionis signis natabiliter insigniri. »

66. *Status religionis durabit usque ad finem mundi.* — Quæritur VI. Utrum usque ad finem mundi duraturus sit status religiosus? Resp. Affirmative, saltem quoad unam, vel alteram, aut aliquas religiones. Ita cum communi aliorum Hyacinthi. Donatus, tom. IV. tract. I. q. 19. id varie probans.

67. *Specialiter religio seraphica sancti Francisci.* — Sufficiat loco probationis, saltem religionem seraphicam sancti Francisci ex divina revelatione, et oraculo fuisse cer-

tificatam, quod pro Ecclesie emolumento et ope usque ad finem mundi perseveratura sit. Sannig, h. t. cap. III, n. 1: Wadingus, Sedul. et ordinis Chronica. (ADNOTATIO II.)

## § III.

DE RECIPIENDIS AD RELIGIONEM: ITEM DE NOVITIIS, EORUMQUE MAGISTRO, ET ANNO NOVITIATUS.

68. *Non quivis ad religionem recipi potest, sed requiritur. I. Certa aetas.* — Quæritur I. An quilibet religionem ingredi, et in eam recipi possit? Resp. I. Non quivis, sed illi tantum religionem ingredi, et in eam ad novitium recipi possunt, qui requisitas a jure qualitates habent, et defectibus a jure impediendis carent. Unanimis, ac certa. Patebitque inductione, qua requisitas a jure qualitates, et defectus jure impediens ingressum recensebimus. I. Requiritur certa aetas pubertatis nempe Sylvester *Religio*. 5. q. 1; Hyacinth. Donatus, tom. II, quæst. 7, n. 1; Pirhing, h. t. n. 27; Pelliz. tr. II, cap. I, n. 4, et communis aliorum, claris juribus c. *Ad nostram*. 8. et c. *Cum virum*. 12. h. t. juncto can. 1 et 2. cau. 20. q. 2. Ratio est, quia hac ætate primum discretio rationis, libertas arbitrii, et vires adveniunt ad austeritatem religionis probandum, præsertim vero, an etiam continentiam servare quis valeat, quod ante pubertatis annos satis experiri nemo potest. Nec obstat concilium Tridentinum, sess. 25. *de Regul.* cap. xv. requirens ad validam professionem annum decimum sextum completum, quia per hoc non prohibet, quin annus novitatus citius inchoari, et compleri possit; sed tantum ne ante illam ætatem emittatur professio. Pariter non obstat idem concilium, eadem sess. cap. xvi. statuens, ut expleto anno novitatus novitius aut statim ad professionem admittatur, aut statim et monasterio rejiciatur; quia intelligenda est illa dispositio Tridentini, nisi justa subsit causa professionem differendi, prout declaravit sacra Congregatio concilii, et cum aliis bene observat Pirhing, loc. cit. n. 27. Juxta statuta tamen nostra generalia cap. II. § 1. debet recipiendus esse ætatis saltem sexdecim annorum, si in clericum recipiatur: laicus vero non debet esse infra vigesimum, nec supra trigessimum ibidem. Dicitur autem notanter in *conclusionone ad Novitium*; quia alia ratione

v. g. ut ibidem bene educantur etiam ante annos pubertatis ipsimet impuberes ingredi, et a parentibus offerri possunt juxta dicenda infra.

69 et 70. *II. Status libertatis. III. Usus rationis.* — Requiritur, ut quis sit liber, et non servus, communis ac certa, arg. can. fin. cau. 17. q. 2. et can. *Qui vere*. 12. cau. 16. q. 1. ibi: «Neminem servorum suscipi in monasterium, nisi cum domini proprii licentia.» Idem requirunt Sixtus V. et Clemens VIII. in Bullis n. 72. 82. referendis.

Debet esse rationis bene compos, nam mente captus, aut furiosus recipi nequit, arg. c. *Sicut tenor*. 15. h. t. ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: «Cum alienatus non sentiat, et per hoc non valeat consentire.»

71. *IV. Ne sit infamis.* — Requiritur, ut suscipiendus non sit infamis, ita statuere Pontifices Sixtus V. et Clemens VIII. Ratio est, quia infames, de jure sunt irregulares, et repelluntur a statu clericali sæculari, can. *Omnes*. 2. et can. *Infames*. 17. cau. 6. q. 1. ergo multo magis repellendi sunt a statu regulari; cum hic sit perfectior illo, arg. can. 1. cau. 19. q. 1. Ex quo inferitur, lictores, carnifices, histriones, ac similes viles personas recipi in ordinem non posse, eo quod tales, de jure pro infamibus habeantur. L. 2. § *Ait prætor*. ff. *de His, qui notantur infamia*, et l. *Mater*. 10. § fin. ff. *ad L. Juliam. de Adult.* vide Hyacinth. Donatum, tom. II. tr. III. q. 1 et 2; Joan. Andream, Panormitanum in c. *Decorem*. 19. *de Vita et honest. clericor.* Viginti aliæ species infamie enumerantur can. *Infames*. 17. cau. 6. q. 1.

72. *V. Nec obnoxius ratiociniis.* — Requiritur, ne suscipiendus sit obnoxius ratiociniis sive publicis, sive privatis; nisi prius a ratiocinio dignoscatur absolutus. Rursus communis ac certa, textu expresso can. 1. dist. 53. ibi: «Qui ratiociniis publicis sunt obligati, si monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a ratiociniis absoluti fuerint,» et constitutione Sixti V. *Cum de omnibus*. apud Cherub. tom. II. constit. 7. dicti Pontificis, et Clementis VIII. *Regularis disciplinæ*. tom. IV. *Constitut.* dicti Pontificis, qui indistincte, ac universaliter prohibere, «ne reddendis ratiociniis obnoxii et obligati recipiantur.» Est autem ratiocinium redditio rationis consurgens ex administratione rei publicæ, vel privatae. Obligati ad ratiocinia publica sunt officiales administra-

torii rerum ad rem publicam pertinentium, arg. l. *Officiales*. c. *de Episc. et cleric.* Obligati ad ratiocinia privata sunt administratores rerum privatarum, puta, tutores, procuratores, actores executores testamentorum, etc. arg. c. un. *de Obligat. ad ratiocinia*. Rationem dat Sixtus V. quia, si tales susciperentur, «facile cedere posset in religionis opprobrium, in Dei offensam, et scandalum plurimorum:» item quia «lis et molestia ita obnoxii jam est illata, vel timendum est, ne inferatur.»

73. *VI. Aut gravatus aere nimio alieno.* — Non debet esse nimis gravatus aere alieno; talis enim nisi prius solvat, suscipi non potest: ita citatæ constitutiones Sixti V. et Clementis VIII. docentque omnes. Ratio est, quia ingressus ad religionem est tantum consilii, solutio debitorum autem de præcepto, quod ob opus consilii negligi non potest. Quod si debitor est solvendo, et non solvit, sufficientem tamen cautionem reddit creditorem per pignus, aut hypothecam super bona sua immobilia, suscipi potest, Pelliz. tract. II, cap. IV, n. 46; Hyacinth. Donatus loc. cit. q. 13. et communis aliorum. Pariter ab ingressu in religionem impeditur nequit debitor, qui non amplius est solvendo, dummodo in favorem creditoris cedat bonis suis, si quæ habet divus Thomas 2. 2, q. 189. a. 6. ad 3; Miranda, tom. I, q. 17, a. 7; Pelliz. loc. cit. n. 26; Donatus loc. cit. Ratio est, tum quia ad impossibile nemo tenetur, l. *Impossibile*. 145. ff. *de Reg. jur.* tum quia inanis est exactio creditoris, quam inopia debitoris excludit exceptio, cau. 1. 14. q. 6. et l. *Nam is*. ff. *de Dolo*. Limitant quidem, hoc aliqui in casu, quo debitor pollet arte, et viribus, quibus bona acquirere; et per acquisita solvere potest, Donatus loc. cit. Roderiquez, tom. III, q. 10, a. 9. et alii. Verum hæc limitatio probabiliter non est attendenda, eo quod «propter pecuniam persona liberi hominis secundum jura non obligatur, sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem estimationem pecuniæ,» uti loc. cit. bene observat divus Thomas, et docet cum aliis Pelliz. loc. cit. Illud certum et ab omnibus concessum est, quod debitor debito non solvulo suscipi valeat, si creditor consentiat: quia «scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus,» c. *Scienti*. *de Reg. jur.* in 6.

74. *VII. Aut corpore vitiatus, vel infirmus.* — Suscipi non possunt corpore multum vi-

tiati, aut deformes: quales sunt cæci, muti, surdi, deformiter claudi, aut gibbosi, vel alio notabili corporis defectu laborantes. Hyacinth. Donatus loc. cit., q. 26, et alii, arg. toto tit. *de Corpore vitiatis*; cum enim ibidem corpore vitiati repellantur ab ordinibus, et statu clericali sæculari; multo magis arcerentur a statu religioso utpote perfectiore illo. Huc doctores communiter deducunt lepra, morbo caduco, aut gallico affectos; item omnes ita infirmos aut debiles, ut onera religionis portare, aut munera ejus obire non valeant. Pelliz. loc. cit., q. 25; divus Thomas, 2. 2, q. 189, a. 10, et alii. Ratio est, quia «turpis est pars, quæ non congruit suo toti,» quod fieret in simili casu.

75. *VIII. Vel hermaphroditus.* — Suscipi nequit hermaphroditus, id est, qui partim maris, partim feminæ sexum præ se fert. Hyacinth. loc. cit., q. 23. arg. can. 1. dist. 26. Ratio est, tum quia et talis corpore vitiatus est; tum quia aliis scandalum et offensiculum præbere possit.

76. *IX. Nequit recipi episcopus sine licentia Papæ.* — Recipi in religionem nequit episcopus sine licentia Papæ. Communis ac certa, arg. c. *Licet quibusdam*. 18. h. t. et c. *Inter corporalia*. 2. *de Translat. episc.* juncto c. *Nisi*. 10. *de Renuntiat.* Ratio est, quia status episcopalis est perfectior statu religioso. Solet autem Papa concedere licentiam, si una ex sequentibus adsit causis, quæ ponuntur in Summario cit. c. 10. *de Renuntiat.* sequentibus versiculis, si videlicet episcopus est

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, quem mala plebs odit, et dans scandala, cedere possit.

77. *X. Nec proles, cujus ope graviter indigent parentes.* — Suscipi in religionem nequit, cujus parentes jam actu sunt, vel ingrediente filio brevi erunt in gravi vel extrema necessitate, supposito, quod in sæculo manens, a tale necessitate eos liberare, vel præcavere possit, ita cum divo Thoma, Miranda, tom. I. q. 17, a. 8; Roderiq. tom. III, q. 13, a. 5; Donat. loc. cit., q. 2, et communis aliorum, arg. can. 1. dist. 30; ibi: «Si qui filii parentum maxime fideles deseruerint occasione Dei cultus, hoc justum esse judicantes, et non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sit.» Concordat constitutio Cle-